



Philosophical Transactions

Please note: Due to an error in the print volume, the page numbering in this article may contain either page numbering skips, or page numbering repetitions, or both. However, the article content is presented in its entirety and in correct reading order.

Please click on "Next Page" (at the top of the screen) to begin viewing the article.

I. *De Monstris, quasi Monstris & Monstrosis; item de Serpentibus, &c. Philippensibus, ex MS. R. P. Geo. Jos. Camelli. Communicavit D. Jac. Petiver. Pharmacop. Lond. & S. R. S.*

1. **I** Ndi *Abayan* Uxor enixa est puerum A. D. 1695. in Vico *Palo* Insulæ *Carigaræ Bysaiarum*, facie *Testudinis Marine*, & testæ ejusdem tessellis in cute expretis: Anno verò infrequenti alterum similem dicto.

2. *D. Maria Quiros* enixa est *Mariam* post duodecimum, *Josepham* post decimum tertium, *Emanulem* post decimum quartum mensem, qui natus est bino dente. *Manilæ.*

3. *D. Elizabetha Guevana*, Gravida quotiescunque, menstruabat ac si utero non gereret, imò si tempore gestationis sanguis non mittebatur, inflata & tumens suffocabatur, & manibus pedibusque ex plethora paralytica fiebat, & demùm abortiebatur. Proles verò non obitante fluxu menstruo, & sanguinis missione enixa est 12, 13, & 14 mense, quadratos, & bene conformatos. *Manilæ.*

4. Uxor *D. F. Montenegro* enixa est puellum coloris *Æthiopsis*; obstetrix prudens suspicata malaciæ, aut picæ præcedentis effectum, rogavit num elapsis diebus aliquid appetierit, quod non concessum fuerit, & certior facta appetiisse paulo ante partum *Sardinas*, quas in ejus conspectu *Æthiopissa* edebat, tulit de *Sardinis* ossa & reliquias, & puerulo os refricuit, & sine morâ color adultus in candidulum transmutatus est. Hic diem ætatis virilis, ex vehementi animi passione, & conflictu, unicâ nocte omninò incanuit. *Manilæ.*

5. *Pueros tres vivos peperit uno partu in Suburbio S. Crucis A. D. 2699. Sino-Inda.*

6. *Æthiopes tres vivos peperit uno partu & Æthiopissa Ana A. D. 1692. Mayhalique.*

Monstra quæ existerant A. D. 1700. in Insula Catanduan.

7. *Joannes de Flores*, Vir cæterum bene formatus, monstruosa habet *Brachia*, quæ vix non crassitudinis sunt *Femoris*, Manus verò digitis ferme triplo longiores ordinarij, in quibus tres digiti medij coaluere.

8. *Martinus Suniga* Puer a nativitate mutus, laborans antipathia *Anni*, ad cujus præsentiam miserrimè convulsionibus torquetur, ad inaurata verò non patitur.

9. *Puella*, cui *Mammaram* loco propendent genua usque duo quasi carnea forcimina, æqualia ab exortu usque ad extremum.

10. *Martina*, Puella ventriloqua, sentit internè sapissimè quod nec ipsa explicare valet, & tunc immota illa, vox interna distincta, & tenuis, loquitur & respondet variis linguis. *Demon* illufor esse videtur, sacris exorcismis non paret, sacras recitat Orationes, illa ipsa vox interna Puellæ non est damno; futura, & ignota, alia prædicit, alia nescit.

11. *Vacca Hermaphrodita Indis Talos*. Homines androgynos *Binabaye* vocant & *Binoje*.

12. *Vitulus* domi *D. Francisci de Quiros* natus unicornis: Cornu est Bovinum, sed rectum de medio frontis exiens: Facies nec benè Vituli, nec benè Hinnuli. *Equos* verò *Insula* non alit.

13. *Albinam*, Hispanis *Albinno*, vidi *Manila*: erat Puella decennis (proles *Morenorum* parentum, qui coloris sunt fuliginosi, sed capillitio protenso) albedinis extraordinariæ & insolitæ in admirationem trahentis, & monstruosæ, capilli aureoli, solem ac lucem invitè ferens. *Causam* vulgus non phantasiæ sed *Lunæ* influxui tribuit.

14. In *Mindoro* Infula vico *Camaron* Nigrita primo partu enixa est puerum unum, secundo geminos, tertio trigeminos, & nunc A. D. 1700. utero gerit.

15. *Homines caudatos* reperiri ferunt in Mediterraneis *Paynan*.

Ex Historia *Bysaiarum* MS. Ignatij Alzinæ.

16. In Vico *Tubig* Provinciæ *Pictorum*, Uxor Indi *Patolon*, eodem partu post enixam puellam, peperit & *Crocodilum*, longitudinis cubitalis, quem maritus rescisa caudæ parte in fluvium projecit; hic dein ferme omni nocte fluvium egressus sub domum veniebat, imò transmigrando post biennium in alium vicum distantem duobus miliaribus, uterinam Sororem Frater *Crocodilus* sequutus fuit. Tandem Sororem fugientem ab invito Fratre in cæcis miliaribus distantem vicum *Borongam* frater sequutus est; post 31 annum verò adhuc vivebat uterque, imò multoties *Apros*, *Cervos*, *Testudines Marinas*, aut *Pisces* majores Sorori noctu ad domum deferebat. *Ign. Alzina Lib. 1. cap. 9.* H. Byf. MS. In vico *Calviga* Provinciæ *Bysaiarum*, Inda enixo puero sano & bene disposito enixa est & *Serpentem*, longitudinis sesquipalmaris, crassitie digitalis, rubrum a capite ad medium, a medio usque in caudam nigrum, squamis relucens, qui pro tunc defugit, & latuit; die verò tertiâ, & postea multoties inventus fuit ad latus Pueri, ita ut mater coacta fuerit aliò transmigrare, ut puerum à persecutore fratre Serpente liberaret. *J. Alz. l. 3. c. 12. MS.*

18. Gigantes *Tuia* vocant; extitisse in *Igbabaa*, cum Uxore & Filiis, nomine *Morongboronga*, constans est fama.

19. Alium in *Gimasava*, nomine *Pusung*.

20. Gigantum tibie inventæ fuere in *Bulilacu*, circumferentiæ duarum spithamarum, longitudinis *Orgyialis*.

21. Exi-

21. Existere in hodiernum in montibus Mediterraneis *Ceraga*, & in insulis jacentibus contra caput *Sancti Augustini* ubi visi sunt. In montibus *Gigantum* inter & *Borongan* inventa sunt vestigia pedum triplo majora hominis ordinarij.

22. *Pygmaeos* non Monstruosos sed benè formatos vocant *Bongan* & *Malypoto*. Hi cubitales interfecerunt Gigantem *Pusung* in *Calviga*.

23. Circa vicum *Bislic*, Insulæ *Mindanao* venatores invenerunt Puellam spithamæam, vagientem, benè dispositam, quæ baptizata die tertiâ expiravit. Visi sunt sæpius in desertis & ab alijs non inhabitatis Insulis *Siargao* & *Miargao*.

24. *Pygmaeos* defectuosos, seu Monstruosos vocant *Muntî Suman* & *Pandacan*, Hispani *Enanos*. Maglonos *Panubamus*. Altitudinis erat quinque spithamæam, benè proportionatus, verum Monstruosè quadratus. Balico *Tambucensis* ejusdem staturæ, impropportionatus, sed robustus & magnarum virium.

25. *Dulacensis* corpore pueri Sexennis, gracilis vixit annis 40, *Manila*. Ubi nunc mas unus, & duæ foeminae.

26. In colonia *Panayensi* ex parentibus *Indis*, staturæ proportionatæ nata & baptizata est Anno 1685. Pigmaea nomine *Anna*, non monstruosa, sed benè conformata & & proportionata quæ Anno præfenti 1703 vivit & altitudinis est palmi unius & trium digitorum, loquitur, & omnes rationales obit functiones, vivit cremore *Oryzæ* cui cum habetur additur *Semen Cucurbitæ*. Prior *Panayensis* R. P. *Josephus Trepad* parentes unâ cum Pigmaea filia proxime *Manilam* deducere tentaverat, sed hac de causa sublevata Provincia ferè hostiliter resistit, Parentes verò cum filia in montes profûgere, ubi in hodiernum cum *Indis* necdum reductis degunt, & quo Hispani hocce Naturæ miraculum videndi gratia sese conferunt. Hæc ex relatione *Emanuelis Rodriguez de Leon* qui supradicto P. Priori *Panayensi* convixerat.

27. *Indus* viginti quatuor digitorum.

28. *Indus* alius, digitis carens, habens eos in Pedibus.

29. *Indus* alius, carens digitis in Pedibus habens eos in Manibus.

30. *Indus* alius, excepto pollice, reliquos habet concretos.

31. *Catao* Monstrum est Marinum Tritonium, formæ *Hominis*, quorum unum Mortuum inventum fuit Masculum. Voces vero, & Ejulatus eorum sæpius audiuntur, & ipsa non raro visuntur circa Insulam *Dinacat*, qui inter *Leyte* & *Mindanao* sita est, ex vestigiis luto impressis, & emortui forma constat inter divaricatos Manuum, & pedum digitos Membras habere *Anatum* modo.

32. *Ognima* & *Talonganum*, Indi vocant Monstra Figuræ humanæ pilosa, fera & terrifica. Visa sunt ut refert *Alphonsus de Mentrida* Anno 1599. & 1600. multa, in montibus *Provinciae Ybahay* & *Aclan*, formæ Satyrorum, Faunorum & Silenorum.

33. *Onglo* & *Tigbalan*, Nescio quid Spectri, formæ *Æthiopis*, staturæ *Giganteæ*, muties puellas & pueros in *Deserta* abducens. Qui reduces, vel casu inventi, quasi terrore panico perculsi ad omnia stupent, & attoniti hærent.

34. *Additamentum in adnotationes de Monstris quas tibi Anno elapso Mens. Octobri misit.*

GAZ. NAT.
Tab. 45. Fig. 4.

35. Monstrum *Philippense* Centauri facie GAZ. NAT. Tab. 45. fig. 4.

Monstrum *Catbaloganum*, enixa est Mulier *Tinampay* vocata, Anno 1678. Vixit circiter horæ quadrantem, & extinctum est. Multifforme erat & terribilis visu formæ: *Rostrum* erat quasi *Ardeæ*: *Vultus* & *Aures Cervi*, *Collum* longum *Cervinum* & pilorum loco fetis *Equinis* hirtum, *Dorsum* & *Pectus* & reliquæ usque in *lumbis* *Hominis* erant, sed confitis plumis variarum cognitarum *Avium*; *Brachia* & *Manus* prouti & crura trium juncturarum, digiti *Ma-*

Manuum *Cercopitheci*, unguum *Felis*, aut *Falconis*, & digitos inter, Membranæ intergerrinæ ut pedum *Anatis*, Nates conchæ Testudinis Marinæ modo maculosæ tessellatevè: Fœmora & crura Cervina in bifulcas unguulas desinentia, verum pilo vario, varietatum Animalium ut Equi, Vaccæ, Cervi, Felis, Canis, Lemæ, Muris Vespertilionis & aliorum, quas interpolatim refarcita. Communicavit *Franciscus de la Zarza* qui vivum vidit eadem confirmat. *D. Franciscus de Altaga*, qui eo tempore illam provinciam administrabat, & mortuum vidit. Addendo *Indum* ex quo dicta Mulier conceperat fuisse Magum.

36. *Manila* Anno 1693. in domo *Joannis de Mena*, Scropha peperit nephendem cui aures majores *Equinæ*, vultus lepidus, ridiculæ vetulæ, naves in longam *Elephantinam* proboscidem protensæ.

37. Puer *Baclayonensis* Boholanus Anno 1700. Octennis erat, Gigas futurus, si infantiam, & corporis proportionem, & vires spectamus. Triennis siquidem uno prandio 4 & 5 lagenas *Tubæ* ebibebat, Succus est iudeo vinosus *Nucis Indicæ Cocci*, & tantum radicis *Ube* assæ, aut coctæ, est species hujatis *Batetæ*, edebat, quantum senis robustis *Iudis* dapiliter sufficeret. Vires proportioni corporis, & copię nutrimenti correspondent, jocando etenim & ludendo domus Indorum tamen columnationis fortissimarum arborum, nutare & contremiscere facit. Scripsit *F. Antonius de la Zarza*, qui puerum vidit.

38. *Draco cristatus, alatus tetrapus.* GAZOPH. NAT. GAZ. NAT. Tab. 85. Fig.
 Tab. 85. Fig. cum Anno 1703. 23 Martii cum *R. P. Jouckymo Affin*, & aliis circiter 20 itineris Sociis per æstuarium *Panayense*, Capis versus veleremur, obvium habuimus in ipso æstuario littore saxo incumbenseni Draconem formæ sequentis, Longitudinis erat prope *Orgyialis*, altitudinis unâ cum pedibus & spinæ dorli crista duobus dodrantibus majoris, crassitudinis fœmore amplioris. Caput habebat *Leoninum*, album oculorum coloris xerampelini, iridem

sulphuream, pupillam aterrimam; *Labium* inferius flavo-pallescent, supernum lutescens: *Fauces* tingentes duobus candicantium dentium ordinibus stipatas, *Linguam* rubentem. *Pectus* erat amplum, & corpore torosius: *Alæ* binæ & corporis trunco longitudine suppare, membranaceam *Vesperilionum* modo, in extremis lunatim angulosæ atq; plumatim nigro, viridi, xerampelino, & flavo picturata. Corporis potior pars viridi colorata: *Dorsum* a collo usq; in caudæ exordium, angulosè, palmam alta, membranacea, nigra & ad summities carneolè rubente cristâ alarum. *Tergi* latera usq; ad caudæ medium intercurrentibus lineolis albis, majusculè seu Conchaformiter maculosa, maculis intervenientibus strijs nigerrimis in tæniâs flavas, virides & xerampelinas, desinentibus variegata. *Venter* nigro & albo striatus erat. *Pedes* quatuor, curti quales sunt *Galli*, proportionatè crassi, verum quilibet tribus albis & aduncis unguibus, duobus antrosum & uno retrorsum reflexo, donatus. *Cauda* crassa, obtusa, bipalmaris & quasi conchis aut squammis nigris & virentibus commaculata. Hæc pariter ex relatione *Emanuelis Rodriguez de Leon* Pictoris eminentis, qui vidit, narravit & *Iconem* exhibuit: Eadem confirmant & *Socij*.

De *Serpentibus, Viperis, Scolopendris, Julis, &c.*

39. *Pangavaasun*. Serpens coloris terrei, ad ventrem flavus, mortiferus; *Remedium* rad. Arboris *Pangavaason*.

40. *Ibingan*. *Vipera* mortifera. *Remedium* reticula *Salagsalag*.

41. *Dumorogonon*. Serpens aterrimus, ventre cinereus, ferocissimus quandoq; crassitudinis femoralis.

42. *Manlalaioz*. Coluber variè picturatus, venenatus, & perniciosus: Velocissimè saltuatim progreditur, volare diceret, capite erecto, & majore parte corporis erecta.

43. *Tigu*. Serpens, degit in Aqua & Terra, de quo narrant, quod ictus si auxilium petat, venenum in illo qui icto respondit transeat: Ut de aliis quod Venenum eorum per baculum quo percussi fuerunt, transeat in Brachium.

44. *Olopong*. est Serpentum genere habetur pro venenocissimo. *Vipera Major Hispana*.

45. *Dajondubu*. *Serpens viridis*, coloris foliorum *Cannæ Sacchariferae*.

46. *Talboftabo*. *Serpens viridis venenosissimus*.

47. *Dajon palay*. *Serpens virens coloris foliorum Orizæ*.

48. *Patongayta*. *Vipera ex nigro varia*.

49. *Tacquib*. *Serpens aquaticus, sordaster innocuus*.

50. *Tuna Bys*. *Udtu Tag*. *Viperula* est semper sub terra degens, magnitudinis Lumbrici terrestris, sed gracilior vivissima, mille gyris ac rotationibus quam ocissime sese subducens, coloris fulvi & splendidantis; oculos nec Microscopio deprehendere potui: Demorsis somnum inducere ferunt.

51. *Dapung*. *Vipera species Tunæ*, coloris atro virentis, crassitudinis digitalis, longitudinis spithameæ, magno & improporcionato capite, perniciosissima.

52. *Buracan*. *Vipera species Tunæ*, coloris virentis *Buracan* crassitudinis digiti auricularis brevis, tarda & pigra, minus perniciosa quam *Bupung*.

53. *Calapium*. Squammis nigris & flavis variata, venenosa & tardigrada.

54. *Bayo Vipera* a cujus ictu mortifero, oculi & saliva seu spuma virent, ut succus Herbarum.

55. *Ottohan Vipera* parva, tenuis, variè picturata, species *Ibingan*; Mortem inferens ictu ante solis occasum. *Remedium* Excrementum Hnmanum epotum. Ictus per noctem computescit, ut mane non nisi in partes distractus tolli possit. *Indus* ab ea ictus, evasit devorata dimidia

dimidia reticula *Salagsalag*. Pariter & *Inda* ab ea demorsa sanata est devoratis binis reticulis *Salagsalag*.

56. Ongor *Vipera* omnium venenosissima.

57. Taligatos *Vipera* alia.

58. Viperulam in ovo Galli formatam invenit *Laurentius Pais Sagareni* Anno 1699.

59. Antonius *Ruizius* de Montoya in *Historia de Paraguay* scribit Serpentes transformari in Arborea & lapidibus aglutinari.

60. De ortu *Guajaci* ex Scarabæo *vid. l. 3. p. 94.*

61. Nec *Scandovalium*, nec *Montoyam* legi, ita mihi retulere qui hæc in eis legerunt. *Encalada & Merino.*

62. *Cornu* fragmentum spithameum, & digitos novem crassum vidi apud *Antonium Borjam* à quo dimidium dono habui, erat autem rectissimum, proportione servatâ tricubitale ad minus, non in gyros retortum, ex tereti quasi obtusâ triangulare, solidum, & quasi pellucidum, coloris & ponderis cornu *Rhinocerotis*, subluteo fusci non nigri. *an Unicornu verum.*

63. Pro *Cornu Serpentis* dono habui Anno 1699. a D. *Emmanuele Arguelles* ex *Insula Talim*, quæ est *Iacus Bay*, alatum; *Cornu* pyramidale, sesquiunciale, & fere unciam latum parte sessili, album & quasi osseo-lapidum, solidum & ponderosum, & quod ni fallor cute obtectum fuit, ob subtiles strias supernè subasperum, inferne læve, ad latera ad unum latus inclinatis modicis binis prostantijs oblongis modicum angulosum. De hoc D. *Bened. Carasco* retulit se in chartis MS. legitte valere ad hæmorrhagias & signam legitimum *Cornu Serpentis* esse, si superpensum aquam dividat: Oblatum nil tale pateat. *Hieronymus Mercurialis* de signis veneni presentis scribit, *Cornu Serpentis* si teneatur in Mensâ, quo tempore venena adsunt, dicunt secretâ quadam Naturæ conditione protinus sudare &c. *Laurentius Forerus* in *Viridario Philosophico*, titulo *Simpatihæ & Antipathie*,
Mer-

Mercurialem citans scribit, signa veneni prognostica & *Cornua Serpentis*, vel *Lingua* ejusdem sudet præsentem veneno &c. de lingua *Mercurialis* nihil. An *Forerius* de lingua intelligat *Glossopetras* Militenses? Vid. GAZO-
 P H Y L. N A T. & Artis Tab. 9. Fig. G A Z. N A T.
Tab. 91. Fig.

64. *Alipihin*. *Olahipan*, vel *Lahipan* vel *Olalaipan Indorum*, est *Scolopendra terrestris*, Hispan. *Cientopies*. Non tamen 100 sed 50 tantum habet pedes; est illa quam *Matthiolus* depingit *Constantinopoli* alatum: Corpus & pedes flavescunt, articulatae incisiones in dorso nigrae sunt, corpus cum mystacis ex croceo rubent. Morsu dolorifica est, & male curabilia causat ulcera, à quibus præservat *Amomum* legitimum *Dioscoridis*, Masticatum & impositum; cauterium actuale, *Allium* africanum, & rasura *Ligni Molavin* imposita; quandoque digitum auricularem crassa & spithamâ longior visitur, fusco, luteo, rubente, & viridante variat colore.

65. *Atipapalo* vel *Campopalo Indorum* est *Scolopendra Millepeda noctilucens*, ut *Cicindela*, seu *Noctiluca Brueri*, *Oviedi* & *Cordi*. Teres est, Coloris cyaneo viridescentis, multiples; Equos mactat, si in pabulo devoraverint.

66. *Scolopendra terrestr. ducentipeda*. Spithamea est, tenuis, coloris lutei, capite fusco, corniculis geniculatis, & acutâ forcipulâ armato, oculos nec Microscopio observavi. GAZOPH. N A T. & A R T. Tab. 79. G A Z. N A T.
Tab. 79. Fig. 1.
 fig. 1.

67. *Cacaluy Indorum*, est *Julus Æneus*, *Millepeda* seu *Scolopendra Rondeletij*, dum capitur sese in spiram convolvens: *Juli* cremati pulverem mirifice urinam provocare refert *Merula*. Julorum humor cum cruore ex oniscis expresso, ad albuginem oculorum tollendam, divinum & efficax remedium.

68. *Julis Luzonis alter.* Minor est priore seu æneo, coloris castanei, circulis seu annulis magis gibbosis, ad magis prostantes, & villosos flaventes pedes, lunatis & flavis maculis pictus, nec ita prompte in spiram convolubilis.

69. *Bajur Indorum,* est *Julus maximus innocuus,* seu *Scolopendra* terrest. maxima *Mouffet.* (*Scolopendram* vero titulo *Hypocompi* delineat,) in spiram sese convolvens, ut priores, quem cœpi in Sylvis *Silani,* palmo longior erat, pedibus innumerabilibus flavis, gressu undas referentibus, corpore nigro & rubro striatim transversimque variegato. Reperitur & crassitudinis digiti Indicis. Noctu strepitum edit *Gryllo* magis sonorum.
